

*[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the majority of the page. The text is arranged in two columns, with some lines appearing to be part of a larger section or list. There are several red initials and some underlined words, but the specific content is difficult to discern due to fading and bleed-through.]*

Communicata  
in decem





M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. v. Maxß  
1831 oho



CARMEN DE  
AUTUMNO, SCRIPTUM  
PER  
MELCHIOREM STOLLIVM  
Zeapolitanum .

*Forſitan Autumni ſi neſcis carmina noſtri,  
De muſto loquimur lector amice nouo .  
Austria poſt Rhenum poſt Auſtrum Francica uitis,  
Poſt Francos uictor Neccarus eſſe poteſt .  
Palmitis has dedimus ſpecies, tua pocula nobis  
Nec tamen ut uerſus Bacche daremus erant.*

VVITTEBERGAE  
EXCVDEBAT IOHANNES  
CRATO,  
ANNO M. D. LIIII.





CARME N DE  
AVTVMNO, SCRIPTVM  
PER  
MELCHIOREM STOLLIVM  
Lapicidarium

Totum Antiquissimum  
de multis locis lector amice nono  
Altera post Rhenum post Rhenum  
post Rhenum post Rhenum  
Patria in Germania  
Nec tamen ut noster Dacia dicitur

YVITTBERRGAB  
EXCVBERRAT IONANES  
CRATO  
ANNO M. D. LIII

[Faint rectangular stamp or mark]





REVERENDISSIMIS, SINGVLARIBUS  
eruditione, pietate et uirtute præstantibus uiris. Guuilelmo Tetelbachio  
Decano, ceterisque Anspachij Collegij Gumpertini Capitularibus. Georgio  
Eschingero concionatori, Christiano Bulmanno, ac Laurentio  
Hofmanno, Dominis suis singulari studio ac reue-  
rentia Colendis.

M. S. S. D.

Tempora nosse decet; distinctum partibus annum  
Quatuor haud quenquam non meminisse puto.  
Hæc etenim series antiquis semper & annis  
Temporis à uulgo certa notata fuit.  
Agricolæ ex Austro cum sol post frigora nostras  
Ingreditur zonas, tempora uerna notant.  
Sic ubi frugiferis ager omnis pallet aristis,  
Et matura Ceres horrea plena facit.  
Conqueritur nimios messorum turba calores,  
Vis radij magnam fertque reflexa sitim.  
Æstibus exactis sol austria signa reposcit,  
Hortus & Autumnum flauus adesse notat.  
Et quia nunc aderant huius uestigia partis  
Proxima, maturas qua facit hortus opes.  
Iam quoque percoctæ pendebant palmitis uuæ,  
Quæ lucra præ reliquis maxima Bacchus habet.  
Talia poscebat præsens quoque carmina tempus,  
Nec mea poscenti Musa rebellis erat.  
Grata meo nam sunt ut dulcia musta palato,  
Hic mihi sic gratus debuit esse labor.  
Hos igitur Domini uindemia nostra colendi  
Cedite conatus, quos dabit esse ratos.

A ij Nec



Nec quia uos dubito lætari sæpius illo  
Tempore, quo uestra est cella replenda me.  
Sæpe simul primæ post splendida fercula mensæ  
Caseus autumnî munere septus erit.  
Non reliquæ dici, quas hæc pars temporis affert,  
Diuitiæ uersu suffitiente queunt.  
Nam quos nostra sequens autumnî charta labores  
Occupat, hos celeri non damus absq; manu.  
Carmina uix Rheni cessant, properanter in Austrum  
Prouehor ex Austro francica musta sequor.  
Huius ubi terræ breuiter uineta secutus,  
Myfniâ nec uersu prætereunda fuit.  
Saxona nam dulces si quos habet ora liquores,  
Myfniâ laudati fons solet esse meri.  
Cætera quæ uero loca sunt uinosa minoris  
Nominis, hæc breuior reddita uersus habet.  
Hæc igitur Domini, tantum mihi cura benigni,  
Restat, ut acceptum munus hoc esse precer.  
Nam licet exiguus labor hic est, munera cordis  
Sed maiora tamen signa uolentis habet.  
Vestraq; postremò Christo ductore petitum  
Ut faciant cursum uita salusq; precor.  
Vosq; tot autumnos seruet Deus oro futuros,  
Fautores studijs & sinat esse bonis.  
Pectoris ante ipsum quoties mihi uota salutis  
Vestre cum precibus sunt repetenda meis.  
Vestre præstantiæ omni studio  
deditissimus  
Melchior Stollius.



Tempus erat medio quo sol incedit olympo,  
Flexus ad australes & solet ire plagas.  
Libra sibi comitem iam iunxerat ardua solem,  
Qua fugat æqualem nox sibi longa diem.  
Iam per nostra suos compleuerat astra meatus,  
Rursus & obliquus cœperat esse dies.  
Debita paulatim sua munera fecerat æstas,  
Stabat & officio terra soluta suo.  
Falce bis interiit florentis gratia campi,  
Et iam lecta Ceres undiq; ruris erat.  
Frigora quid faciant timidus scit & ipse Colonus,  
Ad gelidos seruans horrea pasta dies.  
Omnis ager mutilus flauis stridebat aristis,  
Sylvarumq; nitor iam periturus erat.  
Omnia iam uacui quasi stabant mortua campi,  
Qui tamen ante nouo flore superbus erat.  
Nonne fuit summo quoq; dulcis in aëre cantus,  
Dum uolucris fuerat gratia uerna choro.  
Post frondes latuit lusciniæ sæpe uirentes  
Ceu recitans cantu tempora læta suo.  
Regulus & uiridi iuxta modulamine ramo  
Adstitit, huic uoces accinuitq; suas.  
Cætera prætereant quoq; cantica læta, sub alto  
Certatim uolucres quæ sonuere polo.  
En ubi formicæ tota quæ messe laborant,  
Horrea congesti nonne laboris habent?  
Nunc nemus omne silet, nunc uoces turba uolucrum  
Contrahit, hybernas cauta petitq; domos.

A iij Totaq;



Totaq; deflexum coeli pars arctica solem  
Conspicit australem uersus abire polum .  
Terra ferèq; omnes iam uicit nostra labores,  
Vnica sed Bacchi reliqua messis adest .  
Hanc referam breuibus q; possum dicere uerbis,  
Si quid & ulterius uinea dulcis habet .  
Parcaq; fortassis muliercula sperat ab hortis  
Digna simul curis commoda ferre suis .  
Plantati superest oleris nam copia de quo  
Et solet ad mensam sæpe patella dari,  
Prima sed ad dulces uertam mea carmina uites,  
In toto celebres quas facit orbe liquor .  
Ast mihi quò primus gradus est ponendus honoris,  
Dissimili quoniam Bacche liquore fluís .  
Ne procul at uidear nostris à finibus ullum  
Vitibus absurdum commemorare locum,  
Prosequar inclusos nostris regionibus hortos  
Bacche tuos, hilaris de quibus unda fluit,  
Rhenani dabitur primo uindemia tractus,  
Et mihi Rhene prior iure citandus eris .  
Namq; tuas ego cum iuuenis uersarer ad undas,  
Faucibus exhausti pocula sæpe meis .  
Perq; mei ueniens examina gutta palati,  
Obuia laudandi causa saporis erat .  
Ille solet multum quia delectare bibentem,  
Dulciter & fumis membra subire suis .  
Carminè non dici uirtus generosa liquoris  
Illius hac coepta iam breuitate potest .

Ad



Ad grauidos igitur propero nunc Bacche racemos,  
Quos tibi soluendos foenore campus habet.  
Nunc tibi pampineos messorum turba per hortos  
Colliget in cellas dulcia musta tuas.  
Et tu lentiflui lætaberis incola Rheni,  
Qui capies fundi commoda magna tui.  
Pinguibus arrident quàm te uineta racemis,  
Vitibus & quantum est discolor uua decus.  
Tuq; reuersuræ si pergas tempore lucis,  
Horti uisurus musta futura tui.  
Vinea quàm canis ornata uidebitur uuis,  
Qui color elapsæ frigora noctis habet.  
Iam te post somnum si pascat botrus inertem,  
Ceui calidas stringent frigida grana genas.  
Plenus & adiuncta dependet ab arbore palmes,  
Alta uelut focios despicit uua suos.  
Nonne uidens aliquis tua prædia læta uiator  
Ipsi dum fessus præterit uua cadet?  
Inuidus à uulgo dici solet ille Colonus,  
Cuius ab expletis uua negatur agris.  
Nec tibi uitiferi tantum sunt gaudia ruris,  
Vitibus autumnum iuncta sed arbor habet.  
Et simul hæc uno concurrat tempore messis,  
Cui quoq; pomorum sylua legenda subest.  
Castaneis hic est ibi pomis cura legendis,  
Hic quoq; lectores persicus hortus habet.  
Alta queri multos nux audiretur & ictus  
Copia narrandi uerbera si qua foret.

Rhene



Rhene tuos etiam comitantur amygdala tractus,  
Non tamen hæc celebri nomine digna facis.  
Nam si terra suos tibi conferat Itala fructus,  
Quos generis primos huius habere solet.  
Et si iudicio fiant examina iusto,  
Chaoniæ poteris nomen habere nucis.  
Dicta sed hæc breuiter nunc sit uindemia laudes  
Rhene tuas propter quæ recitanda fuit.  
Austria Rhenanum sequitur uindemia Bacchum,  
Floret ubi circum septa Vienna mero,  
Nec procul hæc cedunt uino noua musta priori,  
Fortia si quisquam uina probanda putat.  
Aëris at uirtus tibi non est Austria talis,  
Vitibus ad Rhenum quam dedit aura fitis.  
Quæ si sola tuis etiam contingeret uuis,  
Pro primo posses bella mouere loco.  
Terra tuum uero miscet robusta liquorem,  
Quo minus accessum debitus aër habet.  
Non ego gustato loquor hæc mea carmina uino,  
Sed modo iudicium quod tulit alter habent.  
Sed mihi si quondam dabitur liquor ipse, saporis  
Iudicium poterit certius esse tui.  
Tunc satius reliquis quoque plenos fructibus hortos  
Dicere, non dubito, quam licet, esse tuos.  
Hos tibi iam statui tribuendos Austria uersus,  
Donec in Autumnum prouehar ipse tuum,  
Ad patrias redeo ualdè quas Francica uites  
Mustiflui plenas terra liquoris habet.

Nec



Nec sibi postremos locus hic præsumet honores,  
Laudandi fiat si proba iusta meri.  
Herbipolim grauidis plenam quis uitibus urbem  
Cernens, non oculos pasceret inde suos?  
(Nescio quis dederit nomen tibi floris ineptum,  
Forſitan ex herbis pharmacopola ſuis,  
Aut nimis infuſo quidam titubantia muſto  
Verba loquens urbi nomina prima dedit.  
Cum tamen à potu quem ſumpſit largiter ipſo  
Moenibus & nomen debuit eſſe tuis.)  
Nonne ad Saxa ſitis carpens de uitibus uuas  
Laudandæ merito debitor urbis erit?  
Dulcia tunc reliquos etiam fundenda per agros  
Pocula crede mihi Francica uitis habet.  
Hæc ego ſi quondam quoque largiter hauſta recordor,  
Tu mihi ſæpe ſitim Francica terra moues.  
Sæpe tui bibulum uidi poſt pœcla Colonom  
Pollutum Stomachi fecibus eſſe ſui.  
Pluraque merdiuoris poſſem ſpectacula porcis  
Congrua de ſocijs Bacche citare tuis.  
Sed cautus tantum fugio breuitate laborem,  
Charta capax cuius uix ſatis ulla foret.  
Affiduo quoniam nihil eſt attentius uſu,  
Quam uitijs nunc eſt ebria turba ſuis.  
Hæc ego prætereo: Vindemia Francica noſtri  
Scribendi potior carminis anſa fuit.  
Proxima nunc igitur ſuccedat uitibus arbor,  
Poma, nuceſ, generis quæ ſimul huius habet.  
B Arbore



Arbore non alta pendere Cydonia uidi  
 Sæpius & flauī mala coloris erant.  
 Assati faciunt hæc suauem poma saporem  
 Anseris, incoctis est quoq; gratus odor.  
 Persica nec desunt, nec altera poma, sed hortus  
 Diues in autumnum totus ubiq; cadit.  
 Sicca sed hæc abeat mihi uitis imago, precorq;  
 Profit ut autumnus Francica terra tuus.  
 Verum quæ reliquis agitur Vindemia terris,  
 Non proprio reddi carmine quæq; potest  
 Neccarus & multos Bacchi præterfluit agros,  
 Sperat ubi mustum docta Tubinga nouum.  
 Tractus & hic donec Rheni se extendit in undas  
 Hæc ubi nant uno flumina mixta sinu.  
 Hæc mihi uina placent tamen huic magis ipsa place-  
 Talia qui solito pocula more bibit. (bunt.  
 Sicq; meri species ex multis una daretur,  
 Hanc mihi concedi cum datur esca uelim.  
 Mysnia nec numerum Vinetis addet inanem,  
 Exacto si sint musta citanda grege.  
 Hæc quia laudato quoq; uidi pocula gustu  
 Saxonis ardentem sæpe rigare sitim.  
 Patria præsertim si sit Ketzberga liquoris;  
 Vulgus eum famæ nobilioris habet.  
 Præterea quam sit tractus regionis amœnus  
 Totius, hæc proprium scribere poscit opus.  
 Sed Sala non ampli tu profers nominis uuas,  
 Nam tua sunt potius uina probata domi

Ni



Ni quod & interdum si quis meliora, liquorem,  
Pocula fastidit, poscit habere tuum.  
Sic quoque Vandalicæ fatis acria uitis egestas  
Pocula cum desint nobiliora probat.  
Læta sed est etiam leuibus Vindemia terris,  
Commoda si tantum digna labore ferant.  
Vos igitur terræ cumulado fœnore quæstus  
Soluite pro iusta fertilitate soli.  
Et tu Bacche tuos in uasa reconde liquores,  
Nam uacuis longo tempore campus erit.  
Non agri fruges non flores prata uirentes,  
Non uuas uitis nec dabit hortus opes.  
Tu duros oleri iam Sueuica turba labores  
Si dabis, autumnus mox tibi finis erit.  
Forfitan & quædam Syluestria poma supersunt,  
Ex quibus austerus cogitur arte liquor.  
Ille tibi succo Neptuni mixtus aquoso  
Pocula per brumas reddere grata potest.  
Saxona nec magnus labor est tibi terra timendus,  
Si lupuli cessat messis amara tui.  
Sed contenta tamen frugum tu sorte priori,  
Quæ tibi si fœlix contigit, esse soles.  
Denique sufficiat iam dure Colone per æstus  
Rura sub Arctoo te coluisse polo.  
Iam tibi longa dies fugit, insperataque noctis  
Fumosas circum se plicat umbra casas.  
Aspice uelocem nunc alto sydere Cetum  
Squammosas tota pandere nocte faces.



Interea curas operis meditare futuri,  
Sic, calidis aptum possit ut esse focus,  
Si potes ex lento connectas uimine corbes,  
Sæpe uel & nummos furca parata feret.  
Hæc uero si non te res patietur ineptum,  
Messe tibi tribulis area cussa tremat.  
Sic tibi non uacuo transibunt frigora cursu  
Ad tua coniunges donec aratra boues.  
Tempus adest Musæ uestrum quoque claudite carmen  
Iam sit ad hybernos uestraque cura focus.  
Interea quædam redituri carmina ueris  
Fingite, cui laudes cum uenit ipsa canant,  
Ut quia dulcisonæ bruma fugiente uolucres  
Excipiunt læto tempora uerna sono.  
Sic mea præterito quoque frigore Musa redibit,  
Cum repetet nostri Sol uagus astra poli.

F I N I S.



153028

AB: 153028

ULB Halle

3

003 486 044



86






*[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in two columns. Several large initials are written in red ink, including 'D', 'E', 'F', 'G', 'H', 'I', 'K', 'L', 'M', 'N', 'O', 'P', 'Q', 'R', 'S', 'T', 'U', 'V', 'W', 'X', 'Y', and 'Z'. Some lines are underlined in red ink. The parchment is aged and shows signs of wear, including stains and discoloration.]*







CARMEN DE  
AUTUMNO, SCRIPTUM  
PER  
MELCHIOREM STOLLIVM  
Zeapolitanum .

*Forſitan Autumni ſi neſcis carmina noſtri,  
De muſto loquimur lector amice nouo .  
Austria poſt Rhenum poſt Auſtrum Francica uitis,  
Poſt Francos uictor Neccarus eſſe poteſt .  
Palmitis has dedimus ſpecies, tua pocula nobis  
Nec tamen ut uerſus Bacche daremus erant.*

VVITTEBERGAE  
EXCVDEBAT IOHANNES  
CRATO,  
ANNO M. D. LIIII.

